

acie [a] versari ad resistendum, sed in ultima [b] esse ad imperandum [c]. Quos ut cives vident jam tepere, et paullatim [d] cedere,

acrius instant; acrius instant attollunt  
que (que om. 2000) animo,  
geminat victoria vires =  
Pindarus Thes. 493 f. Bachr.

*P. v. W.*

Attollunt animos; geminat victoria [e] cives; vires  
Hic dolor, hic gemitus, perit agris fensa juventus [f],  
Involvunt equitum [g] mortes cum turbine turbam.  
Seminat in hostes [h] lethi genus omne, cruentas  
Excutiens Bellona faces; gemit ille, recluso  
Guttura; transjecto jacet ille per itia ferro;  
Hunc sudis exterebat [i], hunc fundit funda vel arcus,  
Ille vomit saniem [j] fractis cervicibus; illi  
Intestina cadunt, alcum sibi vendicat ensis.  
Hostes dant terga; nostri fugientibus instant.  
Multi jam pedibus [k] manibusque recisi,  
Vel labra præcisi, penitus vel lumine cassi  
Castræ relinquunt [l] vel membrorum parte minutæ,  
Præterea, quæ longa sui ludibria servant [m],  
Frontibus impressa [n] multis nota barbara signis,  
Hos quoque non homines, verum simulacra putares.

Omnibus itaque taliter cæsis et penitus fugatis, quamplures, minis et terrore Bretului gementes, circa vesperas revertuntur ad castra. Alii, quasi amentes facti, usque domum cum fuga delirant maxima. Cives vero post tantam victoriam revertuntur, equos capientes vagantes per agros, et viros ubique [o] latere volentes. Multi conterantur armis, vexillis atque aliis spoliis. Capti sunt autem ex Faventini in pælio illo pauci, interiere pauciores. De hostibus quoque cecidere in illa die ultra tercentos [p], capti plures quingentis [q], et durissimis fuerunt vinculis mancipati. Inter quos mortuus est unus de Mareschalchis, Ottolinus nomine, et Guelfolinus de Arimino; de Caesena Albericus Rainucii, <sup>coram</sup> Sancus filius, et Filistianus [r], Marixerius de Rigi [s] et alii multi de Forumpopulo, Iohannes Balbus de Maliano [t], Iohannes Gonfalonierius et alii quamplures de Ravenna, Oddo Rastelli [u], Bonamicus filius Petri

[a] non in prima acie, C. M. In C. V., deest, non. — [b] sed in ultima. Sic lego. In C. V., si in ultima; Cl. Mitt., sed quasi in ultima, legit. — [c] esse ad imperandum. Sic lego. Codd. habent, essent ad imperandum. Sed si, essent, legendum fore, tunc potius, priori lectione omissa, hanc amplecterer: sed ut in ultima essent ad imperandum. — [d] tepere, et paullatim, C. M.; tempore et paullatim, C. V. — [e] geminat victoria, C. V.; geminant victoria, C. M. — [f] tensa juventus, C. M.; densa juventus, C. V. — [g] Involvunt equitum etc. Hic versus deest in C. V. — [h] Seminat in hostes. Sic C. M. In C. V., deest hic quoque. — [i] Hunc sudis exterebat, hunc fundit funda vel arcus. Sic ego lego. In C. M. vero sic. Hunc sudis exterebat, hunc fudit fudit vel arcus. In C. V. Hunc sudis exterebant, hunc fundit vel arcus. Cl. Mitt. Hunc sudis exterebat sagitta hunc, fundit vel arcus. — [j] Ille vomit saniem. Codd. habent, ille vomit faciem. — [k] Multi jam pedibus etc. Sic omnes Codd.; sed pes unus desideratur. — [l] Castræ relinquunt etc. Sic lego; sed Cod. omnino detritus hic est. Lacunam reliquit Cl. Mitt. — [m] ludibria servat, C. V. — [n] Frontibus impressa. Sic lego. Cl. Mitt. legit, impensa. — [o] et viros ubique, Codd. Cl. Mitt., positus ubique, legit. — [p] ultra tercentos. Sic videtur habere C. M. In C. V., ultra ducentos. — [q] plures quingentis. Sic lego. Codd. habent, plures quingenti. — [r] Sancus filius, et Filistianus. Sic Cl. Mitt.; sed vix legi potest. Sancti quoque legi posse, pro Sancus, mihi videtur. In C. V. habes, Albericus Rainutii, et ejus filius Filistianus. — [s] Marixerius de Rigi. Sic Cl. Mitt.; sed locus detritus est. In C. V., Marinus de Rigi. Alii legunt, Marius de Rigi; Greg. Zucculus legit Maxerius de Rigi. — [t] Iohannes Balbus de Maliano. In Cod. M., inter Balbus, et de Maliano, interiicitur punctum. — [u] Oddo Rastelli. Sic C. M.; Oddo Rastella, C. V.; Oddo Tassali, Greg. Zuceul. et Tondut.